



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Iustiniani Constitutiones de caussis ecclesiasticis, à quibusdam damnatæ, ab aliis malè acceptæ. Iure Tuitionis latae sint, ad Canonum executionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

sentia Concilij Niceni, quam lege explicuit. E Leone, de monachis & simoniaciis decernente, juxta canones Synodi Chalcedonensis.

I. Justiniani Constitutiones de causis ecclesiasticis, à quibusdam damnatae, ab aliis male acceptae. Iure Tutitionis latae sint, ad Canonum executionem.

II. Discussio Justiniani Constitutiones, quae personae aut res ipsas respiciunt. Illae desumptae à Canonibus, qui suppletur, agendi modo praescripto. Quae de rebus, de nuptiis, & de foro latae, tunc à jurisdictione mera Principis pendebant.

IV. Ioannes Scholasticus Collationem Novellarum Justiniani cum Canonibus à Theodoro collectis composuit. Ex sensu Ioannis, Novella Canonibus comulerunt auctoritatem, interpretationem, & supplementum.

V. Novellarum istarum usum commendatus ab Ecclesia Romana, ex Gregorio M. Ioanne VIII. Hincmaro, & Ivone.

VI. Quiritur, an leges canonibus contrariae in causis ecclesiasticis vim habeant. Nullae sunt ex rescripto Valentiniani, & ex sententia Synodi Chalcedonensis, de qua dictum cap. VIII. huius libri. Quod intelligendum de canonibus receptis, ex Balsamone.

VII. Eo sensu explicatur Constitutio Friderici II. & Decretalis Honorij, verbaque Nicolai I. nempe de canonibus & decretis receptis.

VIII. Si leges canonibus contrariae essent irritae, rescindebantur à Principe, non à Synodo, è Concilio Chalcedonensi. Discutitur locus Gregorij M. de lege Maurity, quam Pontifex promulgavit, etsi adversaretur libertati Christiana. Primum caput, Clericorum conditiones respicit: sed verbis in laicos conceptis, antequam adsciti essent in Clerum. Quod à Principibus fieri posse docent Theodosius, Honorius, & Innocentius I.

IX. Secundum caput legis Maurity, de militibus qui monachismum exoptarent, quod Gregorius non approbat. Sed legem promulgat, juxta ordinem praescriptum, missis exemplis ad Metropoliticos. Suspendit executionem illius capituli, ea auctoritate qua Praefectus pratorio & aliis delegatis ad promulgandas leges ex Novella Justiniani competit. Quare non est recurrendum ad summam potestatem Romanae sedis.

X. De altero Maurity & Phoca rescripto Canonibus contrario agit Gregorius, cum summa modestia. Ejus rescissionem Principi servat.

NON solum autem Edictis generalibus, quae à Conciliis constituta erant, Imperatores confirmabant; sed etiam legibus & rescriptis specialibus nunc haereticos reprimebant, nunc interversae disciplinae consulebant, definitiones Canonum amplexi. Honorius & Theodosius extranearum mulierum confortia Clericis interdicerent; hac tantum facultate concessa, ut matres, filias, atque germanas intra domorum suarum septa contineant; in quibus nihil scævi criminis suspicari foedus naturale permittit. Sed quis non videt expressam verbis legis, canonis tertij Nicæni sententiam? Id unum ad canonis interpretationem omnino necessarium addunt, ne domo expellantur uxores quae ante sacerdotium

maritorum legitimo foedere illis conjunctae sunt. Quae exceptio, & è canone septimo apostolico transcripta, & è quotidiana praxi hausta, legi Principum adjungi potuit; eamque deinde Leo I. decreto suo approbavit. Unde ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non habeant sic habere; quod & salva sit caritas connubiorum, & cesset operatio nuptiarum. Monachis exeundi è monasteriis facultatem interdicit Leo Imperator, exceptis apocrisiariis, seu monasterij procuratoribus; sed prohibitionem illam ex antiqua regula monachis praescripta, & à Concilio Chalcedonensi approbata, desumpsit. Ex ejusdem Concilij canonibus sanctissimae legis ferendae occasione hausit adversus ambitum eorum qui sacerdotia mercantur, quos à gradu sacerdotij per pecunias turpiter redempti retrahi juber. quae est poena canonica dejectionis, hac lege confirmata. Praeterea ad instar criminis laesae majestatis accusationem institui, reosque infamiae perpetuae damnari, suo jure decernit.

II. Plura in hoc genere unus Justinianus praestitit quam ceteri Imperatores. Quod nemo sanè mirabitur, cui hominis studium in restituendo & interpretando jure competentum erit. Neque enim apud nos inficitiae infamia laborabit, quam illi è corrupto Suida loco omnes scriptores affixerunt; Justinus patris vitio, qui ἀλαφρότης erat, in Justinianum transcripto. Hanc enim labem ab eo Principe Procopij Anecdota depulerunt; quamvis aliunde ejus truculentiam, aut potius Theodorae conjugis atrocitatem, pudenda scriptione dehonestarint. De constitutionibus autem ecclesiasticis Justiniani solet in utramque partem disputari. Quia in re à plerisque gravissimè peccatum est. Quidam enim, parum perpensis hujus Principis consilio, eum sacra divinaque profanis miscuisse existimant, ejusque leges de causis ecclesiasticis latas nullas & irritas fuisse, donec ab Ecclesia in usum & auctoritatem receptae fuerint. Contra verò quamplurimi, qui tantum res forenses attigerunt, praedictio harum Constitutionum potestatem liberam de disciplina ecclesiastica decernendi Principibus vindicant. Mihi autem videtur jure suo usum fuisse Justinianum, qui legibus latis non canones condidit, sed conditos fovit, & amplificavit: quia jus illud tuitionis ecclesiasticae Principibus Christianis à Deo commissae exigit ut leges pro religione divina ferant, quemadmodum docuit Augustinus capite superiori.

Hanc sibi mentem fuisse docet quoque Justinianus, ut vetustatis & canonum se

I. Euseb. qu. C. de Ep. & Cler.

Can. Apoll. vi. Epist. vi. an Presbyter, an rem proposita in quatuor sit illi rem religioe abici. an. Leo ad Basilic. decret. c. vi. & apud Grat.

L. Quis in monasterio. C. de Relig. & Cler.

Conc. Chalced. c. 4. quod sita proclama. c. 1. & 2.

L. si quomodo. C. de Relig. & Cler. c. 1.

Caroli. c. 1.

vindicem præstaret, non novas regulas in Ecclesiam invehendo, sed veteres augendo in melius. In eam rem expendenda sunt verba rescripti quod dedit ad Dacianum Metropolitam Concilij Byzaceni in Africa: *Semper nostre serenitatis cura fuit servanda vetustatis, maximè discipline, quam nunquam contempimus, nisi ut in melius auferemus. præsertim quotiens de ecclesiasticis negotiis contingit questio, quæ patrum constat regulis definita, imò adventu superni numinis inspirata, quia constat esse cælis consensum quidquid apostolica decernit auctoritas.* Infra: *Nos tutores sumus vetustatis, & vindicæ.*

Iustitiam, pro privilegio Concilij Byzac.

De Ordinationibus & Administrationibus, Vide lib. vi.

Nov. t. c. i. de...
Nov. t. c. i. de...
Nov. t. c. i. de...

Nov. t. c. i.

III. Ceterum Constitutiones illæ Iustiniani, quæ numero suo terrent, in duo capita dividi possunt. Aut enim personas aut res ecclesiasticas respiciunt. Quæ de Clericis latæ sunt; aut circa Patriarcharum, Metropolitanarum, & ceterorum Episcoporum jura, privilegia, & officia versantur; quæ tam ordinationibus, quam administrationibus, id est, iudiciis reddendis, & ecclesiasticis negotiis exercendis sunt addicta; aut totius Cleri functionem, assiduum in Ecclesiis obsequium respiciunt; & eorum qui Clero adscribi debent mores & statum, monachorum & sanctimonialium ἀσκησιν. Quæ omnia hausta sunt è canonibus, aut è receptis moribus; quemadmodum Iustinianus ipse profiteretur, qui se illa omnia secundum Canones decernere disertè pluribus in locis scribit. Sanè de ordinandorum electionibus multa interpretatione supplevit quæ Canonibus non continentur. Nam tres personas à Clero & populo propositis sacris Evangelii eligendas, & Decretum electionis ad Metropolitanum mittendum, qui uni è tribus electis suffragium suum conferat, primus ille statuit. Deinde ordinem iudicij præscribit, quem sequi oporteat, si quæ incident contentiones de persona electi, de vitio electionis, de simonia crimine, & ceteris huiusmodi. quod etiam illi solenne est in multis aliis articulis, ut modum rei gerendæ vel ordinem iudiciorum constituat. Quod autem attinet ad res ecclesiasticas, de earum conservatione sollicitum se ubique præstat. Oeconomum juxta canones Chalcedonenses constitui jubet; administrationisque modum, redditum augendorum, & rationum reddendarum illi præscribit; numerum Clericorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ coërcet, ne redditus exhauriantur; multaque de emphyteusibus, & impedienda Bonorum alienatione, constituit. Hæc omnia, quæ res ipsas respiciunt, non in consequentiam Canonum, sed jure suo se decernere profite-

tur. Plurima etiam Princeps ille constituit, quæ dirimant Christianorum matrimonia. Sed pars illa juris tunc erat penes Principes sine ulla controversia, ut docet Bellarminus. Quæ verò de Clericis conveniendis apud iudices publicos vel ecclesiasticos decernit, tunc à jurisdictione Principis pendebant, qui fines suæ potestatis legibus suis regere debet.

Quæ cum ita sint, mirandum non est si Constitutiones illæ summo applausu à Patriarchis exceptæ fuerint, ad quos mittebantur, ut eas in Ecclesiis publicè proponerent, & earum usum à Metropolitanis exigerent. Imò & post obitum Iustiniani earum usus in iudiciis ecclesiasticis obtinuit: quia nempe quæ generaliter à Canonibus erant decreta, modo rei gerendæ & iudiciorum ordine præscripto, his Constitutionibus erant sigillatim comprehensa; ut magnum inde emolumentum perciperet ecclesiastica jurisdictione, quò facilius in causis dirimendis se expediret.

Quare in epistola synodica Papæ Agathonis & Synodi Romanæ, summis laudibus celebratur Iustinianus, quòd quemadmodum virtute sua, ita quoque & pietate in meliorem ordinem cuncta restituerit. Vnde inter faustas acclamationes, quibus sexta Synodus Constantinum Pogonatum ob vindicatam religionem prosequeretur, nempe, *Novo Magno Constantino multis annos, Novo Theodosio, Novo Marciano*, hæc quoque additur, *Novo Iustiniano Imperatori multis annos, Νέου Ιουστινιανού βασιλέως πολλὰ & ἔτη.*

Act. 4. VI. Syn. in ep. Syn. Agath. 8. p. 101. ubi dicitur: Ἐξ ἡμετέρων ἀρχαίων τῶν ἐν Ἀργεντινῇ πατρῶν.

IV. Ioannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus, qui sub Iustiniano quidem floruit, sed ei superstes fuit, harum Constitutionum usum valde commendat. Etenim Collectioni Canonum, quam Theodoretus Episcopus Cyri in Quingenta titulos digestam adornarat, Collationem legum & præcipuè Novellarum Constitutionum Iustiniani adjunxit, præfatione sua testatus quid Leges Canonibus conferant: *Ad gloriam magni Dei, inquit, & servatoris nostri Iesu Christi, quæ nunc collata sunt cum sacris Canonibus sanctorum & beatorum Apostolorum, & qui eorum vestigia secuti sunt per unamquamque synodum sanctorum Patrum, transcripsi è Novellis Constitutionibus à Iustiniano felicitis memorie post Codicem sparsim editis. Quæ quidem non solum sequuntur Orthodoxorum nostrorum Patrum Canones, sed etiam ex Principis imperio auctoritatem illis largiuntur; unà cum adjectionibus quibusdam legitimis, & Deo gratis, quæ commodis hominum ad exemplum Dei consulunt.* Hæc ille: qui

E. Cod. MS. Bibliothecæ Regiæ. Εἰς δὲ τὰς ἐπιτομὰς τῶν ἐκείνων ἐπισημαίνω τὰς ἐπιτομὰς τῶν ἐκείνων...
E. Cod. MS. Bibliothecæ Regiæ. Εἰς δὲ τὰς ἐπιτομὰς τῶν ἐκείνων ἐπισημαίνω τὰς ἐπιτομὰς τῶν ἐκείνων...
E. Cod. MS. Bibliothecæ Regiæ. Εἰς δὲ τὰς ἐπιτομὰς τῶν ἐκείνων ἐπισημαίνω τὰς ἐπιτομὰς τῶν ἐκείνων...